

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUA

PSALM. CX, 3.

723

TOTIUS VERSUS,  
SECUNDUM ACCENTUS  
IN TRIA MEMBRA DIVIDENDI,  
SUBJECTUM ESSE,

PRÆSIDE

FRANCISCO WOKENIO,  
PHILOS. M. ET PROF. PUBL. EXTRA-ORD. S. THEO-  
LOG. BACCALAUREO, UT ET REG. BORUSS.  
SCIENTIARUM SOCIETAT.  
MEMBRO,

M DCC XXVII. D. XII. FEBRUARII

H. L. Q. S.

EVINCET

~~LXXIIII. #9~~  
CHRISTIANUS Süder,  
CHEMNITIO-MISNICUS, S. THEOL. STUD.

LIPSIAE, LITERIS CHRISTOPH. ZUNKELII.

*Diff. t. 238 (5)*

*29.*

II. diss. A  
8, 5

SENATVS PRAESIDI  
ON DEORUM EST

PRASIDI

VERBIS...

TOTI...

SPONTANEA...

IN TRIA MEMBRA...

SUBJECTIV...

GRONOV...

PHILOSOP...

ASSER...

PHILOSOP...

DOMINVS...

PHILOSOP...

OMNIBUS...

PHILOSOP...

PHILOSOP...



SENATUS SUMMI ECCLESIASTICI  
QUI DRESDÆ EST

**PRÆSIDI**

*PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO*

**HEROI**

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO

*ATQUE  
ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS ET SUMME  
REVERENDIS CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMISQUE*

**CONSILIARIIS**

**ET  
ASSESSORIBUS**

MULTO GRAVISSIMIS

**DOMINIS ET MÆCENATIBUS**

**SUIS**

OMNI PIETATE ATQUE OBSERVANTIA  
COLENDIS

H A N C  
DISSERTATIONEM  
I N  
PIÆ AC DEVOTÆ MENTIS MONUMENTUM

CUM VOTO  
PERPETUÆ FELICITATIS  
EA QUÆ DECET CLIENTEM ANIMI  
DEMISSIONE

OFFERT ET CONSECRAT  
ATQVE EORUM  
GRATIÆ ET SUMMO PATROCINIO

SE SUBMISSE COMMENDAT

CHRISTIANUS Lüder.  
CHEMNITIO-MISNICUS.



הי

## Ad Psalm. CX, 3.

הקדמה



E hoc Psalmo multi & longe doctissimi multorum seculorum variarumque nationum Theologi & Philologi egerunt. Alii contra Judæos (qui non immerito cum R. Aben-Esra ingeminant: יקשה עלינו) ostenderunt, quod de nullo alio, quam Christo, sermo sit. Quemadmodum jam Syrus V.T. interpres inscriptioni inseruit, quod sit נבואה בן אדם כובשין את כל הארץ ואת כל המלכות ואת כל הממלכות ואת כל המדינות ואת כל הערים ואת כל הכפרים ואת כל הארבעים ואת כל המלכות ואת כל הממלכות ואת כל המדינות ואת כל הערים ואת כל הכפרים ואת כל הארבעים

*Prophetia de Messia & victoria contra diabolum.* Alii Theologicè, alii Philologicè, alii utroque modo, in eo desudarunt. Alii totum Psalmum, alii quædam saltem verba explanarunt: Alii vario apparatu lectionis & eruditionis comportato, alii strictius, eundem vel ex toto, vel ex parte illustrarunt. Reliquerunt, tamen (quia inexhausto mari est similis hic Psalmus, ut, e Chrylostomi iudicio, vel Argus non sufficiat) aliis spicilegium. Reliquerunt forte & nobis aliquot aristas. Nam & nobis h. l. שני גרגרים פרש *due aristæ erunt spicilegium*, ut verba *Talm. פאה c.6. M.5.* in rem nostram vertamus. Quare, sine alicujus e Cel. Exegetis offensione, licebit, *versum nostrum 3.* ad Accentuum stateram exigere, ut de genuino sensu certiores fieri queamus. Hinc *Sectio prima* aliquot expositiones in campum producet, & modeste ad Accentus examinabit. *Secunda* nostram proponet. Sed Te, mi DEUS, precor: רוח נדיבה תסמכני

A

Se-

*Seçtio Prima,*  
**Aliorum expositiones**  
 ponderans.

§. I.

**P**ræcedat *Chaldæus Paraphrastes*, qui in *Bibl. Basileensibus* (aliter enim se in *Londinensi* legisse codice, dicit *Junius*, conf. *POLUM* h. l.) ita: עמך רבית ישראל דמתנרבין לאוריתנא ביום אנהותא קרבא הסתיע עמהון בשבהורי קודשא רחמן דאלהא יסתרהבון לך היך נהתת טלא יתבון לרוחצן תולדתך. i. e. *Populus Tuus, Domûs Israël, qui voluntarii sunt ad legem, in die, quo bellum geris, auxilium accipiet cum illis, in decoribus sanctitatis. Misericordiæ variæ Dei properabunt ad Te, sicut descensus roris. Tuæ generationes, sive filii tui habitabunt tuto.* In *Polo* quidem paullo aliter media verba vertuntur, ut sensus: *properabunt ad te in splendoribus sanctitatis misericordiæ Dei.* Sed nulla versio juvat *Chaldæum*. Nam alia hic taceam, quorum quædam *Bootius Animadv. S. L. 2. c. 8. p. 197. seqq.* notavit: contra *Accentus* mire peccat. Negligit  $\overline{\text{—}}$  Distinctionem in versu maximam, & huic non solum  $\text{—}$ , sed *Tiphcha antevius* longe præfert, secundum priorem versionem. Et ex altera versione  $\text{—}$  sub מרחם videtur maximum in versu *Accentum* putasse. Utut & *Bootius* in hac versione mira aliter sentiat, nempe *Chaldæum* משהר טל simul ad antecedentia & ad sequentia retulisse; videtur tamen solum ad sequentia a *Chaldæo* utrumque relatum. Nempe ex מרחם Elliptice fecit *misericordia Dei properabit ad Te*; nisi hoc *properabit in*, subintellecto Verbo Substantivo EST: *est tibi populus tuus*, latere putaverit. Ita vero &  $\overline{\text{—}}$  minor esset quam  $\text{—}$ . Plura taceo, quia vix conjecturis assequi valemus, unde longe petita illa *Paraphrasis*. Id tamen taceri non debet, quod non de Chri-

Chri-

Christo hæc accipiat, de quo tamen rectius & Rabbini antiquiores accipiunt, e. gr. R. *Is. Arama*, cujus verba affert & *Galatinus Arcan. Cath. verit. L. 3. c. 17. p. m. 149.* qui p. 435. ex *Midrasch Thillim* similem locum adducit.

§. II. LXX. rivalis, quæ vulgo audit (quo jure dixi in *Tom. II. Med. p. 13. sqq.*) versio hæc est: Μετά σε ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέραις τῆς δυνάμεώς σε, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἀγίων σε. Ἐκ γαστροῦ πρό ἐωσφόρα ἐγέννησά σε. Ultima quidem & prima verba minime cum textu convenire, ab aliis diu est ostensum, & nuper quoque a *Cel. Dn. Schudtio in Comm. in b. Psal. p. m. 113. seq.* Nos, si curatius ad Accentus respicimus, deprehendemus, quod Merca-Mappach negligatur, & Munach huic præferatur, nisi & diceres forte, & Sarka præferri Merca-Mappach, cum priora dicant quid, & sequentia τῆ Sarka modo, quomodo adsit. Qui itaque vel ex Patribus Ecclesiæ vel aliis exegetis hanc presse sequuntur versionem, non possunt non falli. Meditationes sic piæ quidem, sed non solidæ sunt, cum HERACLEOTAS inde colligit, duas in Christo esse naturas: τὸ μὲν γὰρ ἐκ γαστροῦ λέγει ὅπερ ἀρμύζει τῇ σαρκί· τὸ δὲ πρό ἐωσφόρα· ἐπὶ τῆς Θεότητος. Vid. *CORDERII Cat. Gr. Patrum in Ps. T. III. pag. 241.* ubi & ANONYMUS quidam ita scribit: Βλέτομαι εἰπεῖν, πρό τῆ εἶναι τὰ κτίσματα, ἐγέννησά σε, κατὰ τὴν Θεότητα δηλονότι, ἣν κατὰ τὸν προχριστὸν τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως. Cum quo idem sentit *CORN. JANSENIUS Ep. Gandaviensis, in Paraph. in b. l. fol. 244.* scribens: *Antequam luciferum, aut solem, aliamque creaturam facerem, ego te genui mihi consubstantialem e secreto divinitatis & propria mea substantia, quasi ex utero. Ante luciferum & omnem naturam, ego te, mea virtute, sine virili cooperatione, e solo virginis utero, hominem generare decrevi &c.* Eo spectat & *Vulgata*, vel ex hoc fonte non Canonica, quia cæcum secuta ducem, qui עִמָּךְ cum עִמָּךְ, & קִוְּךָ cum קִוְּךָ, vel יְשִׁרְךָ confundit, item תִּשְׁחַר & תִּשְׁחַר aliam si-

gnificationem affinxit. Pariter & in ultimis vertendis, Athnach neglexit, & *Coniunctivum* Munach in מרחם fecit *Distin-ctivum*. Lorinus, ut *Vulgatam* & LXX. defendat, putat T. III. in b. l. p. 277. quod ad עמר errasse Hieronymum, scribens: Dicere-rem potius, per quandam traditionem, licet falsam, edoctum esse Hieronymum ab Ebraeo, *cujus opera utebatur, proferre עמ-ham*, quia nondum ipsius *æate puncta erant inventa*. Sed hoc est falsum præjudicium. Putat & Dn. M. CASPARI in *Disq. de decoribus sanctitatis*, p. 47. quod non solum ARABICA & ÆTHIOPICA, sed & SYRIACA versio LXX. cum *Vulgata*, sequatur. Si vero de toto versu loquitur, quoad SYRUM, errat. Vertit enim: *בְּיָמַי בְּבָרְכָהּ בְּיָמַי בְּבָרְכָהּ* Vitiose vertitur in *Bibl. Polyglottis*, annectendo priora versui præcedenti h. m. & *dominabitur in hostes tuos populus tuus laudabilis in die robo-ris*. Item sequentia: *Cum nitoribus sanctitatis ex utero ab an-tiquo Te filium genui*. Obstant non solum distinctionis signa, sed & verba. Veritas, separatim a versu præcedente: *Populus tuus est laudabilis in die roboris: est in decore sanctitatis ab utero. Ab antiquo (tibi) in commodum tuum te filium peperit*. Non omnia sunt e LXX. erravit tamen contra Athmach; משרר non intelligens, & e LXX. aliquem sensum sibi fingens.

§. III. Minus quidem in verborum versione, sed ta-men nil fere minus contra accentus alii peccant. Ex quibus *Thomas Wilcocks* in b. l. p. 321. hanc dat Paraphrasin: *Thy people (i. the people that thou shalt beget unto thy selfe, and shalt be subdued unto thee) shall come unwillingly (i. shall freely, and of their owne accord present themselves before thee, to yeeld all obedience unto thee) at the time of assembling (i. at the time, vwhen be the exercises of thy vwood, and vworking of thy spirit, thou shalt assemble and gather people unto thy selfe) thine armie (i. great troupes of thy children, viz, shall come before thee, and  
appeare*



appeare in thy presence) in holy beauty (i. either in such comeli-  
 nesse, as shall cary holinesse vvith it: or else thus, in holy beau-  
 ty (i. in thy Temple, vvhich is called holy beauty, because that  
 holinesse and glory of God did most plainely appeare in the same:  
 and there fore it is called a glorious sanctuary also, Ps. XXIX, 2.)  
 the youth of thy vvombe (i. the people that thou shalt beget and  
 bring forth) shall be as the morning dew (i. not onely pleasant  
 and delightfull to thee, as the dew is to the ground, but also  
 plentifull and abundant, as there is most store of dew in the  
 morning, and as the Philosophers say, great abundance falleth  
 afcer the appearing of the day-starre. A learned man readeth  
 this verse othervvise, and makath another sense of it, but mi-  
 thinketh this is plaine and evident enough. Quamvis vero  
 Viro quondam docto sat evidens hoc videatur, tamen, ne  
 alia dicam, est contra Accentus. Negligit Merca-Mappach  
 & Athnach, ac Tiphcha antevius, Subdistinctivum τ̄ Athnach,  
 non huic solum, sed & τ̄ Merca-Mappach, & omnibus re-  
 liquis præfert. Hoc vero, stante Accentuatione, ferri & cum  
 illa conciliari nequit. Eodem tamen fere modo summa Ec-  
 clesie lumina communiter textum illustrant, ut Tiphcha ante-  
 rius reliquis Accentibus præferre debeant. Hinc si authorita-  
 tibus pugnatemus, hæc sententia vinceret. Stante vero Ac-  
 centuatione, quæ plurimorum tempore adhuc in puteo la-  
 tebat, tantas autoritates venerabundi deprecamur, ubi sequen-  
 tibus temporibus lux ulterior Ecclesie Dei est data. Si pec-  
 care eos deberemus dicere, peccatum ignorantie, uti in mul-  
 tis aliis, fuit. Sunt lumina, non Numina in exegesi.

§, IV. Eodem modo Grotius Accentus lædit, vertens  
 ex Ebræo: *Populus tuus promptissimus erit, in die prælii pulcher-  
 rime præparatus. Ros (i. e. semen) prolis tue (i. e. unde pro-  
 les tibi nascetur) erit ut ros ab utero auroræ.* Ad quam ver-  
 sionem exponendam & tuendam, addit: *Non minus erit fœ-  
 cundum semen tuum, quam ros matutinus, וְרֹס לֹא יְסַדְּקֶנּוּ* non sanctificare

tantum, sed & præparare significat, ut NVM. XI, 18. & speci-  
 atim de præparatione ad bellum usurpatur FER. VI, 4. ubi  
 קרש Græci vertunt παρατοξασθς. Roris nomine semen elegan-  
 ti translatione appellant Hebræi: inde σπυρή illa κρύψις CANT.  
 V, 3. Vid. & Esa. XXVI, 29. Idem non minus apta trans-  
 latione uterum tribuunt auroræ, ut & rebus aliis JOB.  
 XXXVIII, 8. & 28. At Magnus Grotius nobis hic non ma-  
 gnus est, ipsiusque versio parvi est momenti. Reclamant par-  
 tim Accentus, quia Merca-Mappach in מרמ plane negligitur,  
 & Tiphcha antèrius maximus habetur in toto versu Accen-  
 tus. Hujus quasi *Subdistinctivus Minor* supponitur Merca-Map-  
 pach, & *Subdistinctivus Major* Sarka, quod monstro est simil-  
 limum. Adhæc Athnach negligitur, & minoris creditur va-  
 lor, quam *Subdistinctivus* suus Tiphcha antèrius, & quasi  
 Rbhia-Gereschatum Sylluki Minor, Athnach Major *Subdistin-*  
*ctivus* esset, ex hac versione. Partim hæc versio etiam in  
 ipsa verba peccare videtur, מרמ a propria significatione abi-  
 re tenetur, קרש *sanctitas*, pervertitur quasi in קרש *sanctifi-*  
*catus*, & hoc debet esse *præparatus*: Nec admodum hoc li-  
 quet ex Num. XI, 18. ubi, ni fallor, rectius sanctificatio per  
 pœnitentiã intelligitur, quam præparatio, quæ non adeo ma-  
 gna requiritur ad accipiendam & comedendam carnem a Deo  
 datam, sed pœnitentia requirebatur, ut Deus iratus v. 1. 10. 20.  
 leniatur. Nec Jerem. VI, 4. necessariò est præparatio bellica,  
 sed regnat ibi formalis קרש significatus, quo est, *separare*  
*aliquid ad peculiarem usum*. Sic i. c. ab aliis usibus bellum qua-  
 si revocandum, ut urbs oppugnetur. Sed simus liberales,  
 fingamus קרש esse *præparatus*: quid inde? Sane Status Con-  
 structus קרש בהררי non infert, nisi *in decoribus præparati*,  
*alicujus*: non, *pulcherrime præparatus*, מרמ quoque πλεονάζειν  
 videtur, quia tibi in versione non exprimitur. Reliqua va-  
 leant quantum possunt; versionem tamen non stabiliunt.

§. V. Grotio jungamus ejus Cel. antagonistam, immor-  
 talem CALOVIUM, qui in *Bibl. Illustr. b. l.* ita reddit p. 1091:

Po-

*Populus tuus liberalitates vel oblationes voluntariæ (erit; seu oblationum voluntariarum, liberalitatum, spontaneitatum populus) in die fortitudinis tuæ (vel exercitus & copiarum tuarum) in ornatibus (vel in decoris locis) sanctitatis, e matrice auroræ vel præutero auroræ: Tibi (erit) ros juventæ tuæ, (vel, ab utero auroræ tibi ros juventæ tuæ).* Ultima, quæ Parenthesi inserta, prioribus sunt contraria, ipsisque Accentibus, quia *Tiphcha* antè sic magis distingueret quam *Athnach*. Habebimus ergo hæc, quasi a tanto Viro non essent addita. His vero transmissis, notemus, quod ipse *Cel. Vir* ipsam Accentuationem alleget p. 1092. Accentum *Athnachburgens*. Optarem vero, ut interpretationem summi hujus Viri cum Accentuatione conciliare valerem. Verum *Merca-Mappach* transmissus est, qui in hac versione non solum τ̄ Athnach, sed & τ̄ *Tiphchæ* anteriori, ac τ̄ *Sarka* ipso minor est. Præter hæc nonnulla eleganter observata adsunt.

§. VI. Magnum Exegetam & Theologum, Calovium, excipiat magnus exegeta antiquæ Ecclesiæ, *Hieronymus*, qui *b.l. Opp. T. VIII. ex Ebræo* ita vertit: *Populi tui spontanei erunt in die fortitudinis Tuæ in montibus sanctis quasi de vulva oriatur, Tibi ros adolescentiæ tuæ.* Ita quidem distincta est *Frobeniana*, qua utor. Quoniam vero difficilior hic est sensus, qui facile contra *Merca-Mappach* peccaret, si post voces *fortitudinis Tuæ*, non poneret *comma*, & intermedia peculiarem Enunciationem diceret, quod populus ille spontaneus in die fortitudinis Christo adfuturus, oriturus quidem sit quasi ex utero prodiens in montibus sanctitatis: credemus, quod *comma* post *oriatur* vitiose positum sit, cum debuisset poni post, *fortitudinis tuæ*. Hoc modo *Merca-Mappach* quodammodo jus suum postliminio revocasset. Erravit interim *Hieronymus*, qui pro הררי legit, cum *Resch*, הררי montes pro decoribus supponens, & משהר pro Participio משהר habens, quod jam *Bootius Animadv. S. L. 2. c. 8. §. 5. p. 198.* & *CAPELLUS Crit. S. p. 358.* observarunt.

§. VII.

§. VII. Ipsa hæc vero mentio *BOOTII* me admonet, ut ad ejus quoque expositionem attendam, quam diffuse in *Animadversionibus S. L. 2. c. 8. 9. 10. 11. 12.* integris proponit Dixi jam *P. I. Piet. Crit. pag. 29. 30.* de hac, quod *vori salvatoris Bootius immisceat Hypallagen.* Id patefcet magis, si singula membra expositionis ejus paullo penitius spectamus. Primam versus partem recte quidem in *Merca-Mappach* finit; sed ita p. 205. exponit: *militēs habebis voluntarios, quando exercitum colliges.* Vult nempe עם notare *militēs*, in quem finem loca quædam §. 13. adducit, ubi עם significatione materiali est exercitus, sive populus bellum iniens. היל exponit *exercitum*, cujus rei rationes §. 12. nullas adducit, præter autoritates interpretum quorundam: & יום היל ipsi est non dies prælii, nec lustrationis militum, sed congregationis militum, ex autoritatibus quarundam occidentalium versionum. Et עם נרבות sunt ipsi milites, qui prompto animo militiam suscipiunt, & in sensu, quod prompti sint ad Evangelium amplectendum. Nimis medicara hæc dices. Sed quid dices de sequentibus? Hactenus quidem videbatur observasse *Merca-Mappach*; sed jam ultra *Merca-Mappach* extollit *Tiphcha* antèrius, cum cap. IX. §. 13. p. 218. finit; Hactenus in explicando priore hujus versus dimidio, עם נרבות ביום הילך בהררי קרש *immorati sumus, nunc ad alterum, מרחם משחר לך טל ילדותך, trans-eamus.* Ergo *Tiphcha* antèrius versus in partes dividens, majus est quam *Merca-Mappach*. Hoc & probat *Bootii* sensus vocibus his בהררי קרש tributus. קרש ipsi est *sanctuarium*, & קרש הררים per absonam *hypallagen* convertit in קרש הררים *sanctuarium decorum*, ut sensus sit, quod milites Christi sponte militiam suscipiant in sancto loco, ubi milites conscribit Rex Christus. Ita vero non agit pius interpretes cum S. Dei verbo, sed chymicus cum materiis suis, eas separando & miscendo ut ipsi libet. Sed expectemus parumper in laboratorio *Bootiano*, ut videamus, quid ex sequentibus producat. Putat

c. XI. §. 1. p. 235. seq. duo hemistichia hic esse. Prius in his vocibus מרחם משורר לך, contra totam Accentuum cohaesionem, quod ipse negare non potest, & ad illam dementiam descendit, *Athnach* ut dicat non justo loco poni, quod sub קדש ponendum putat, vel ipso illo Accentuationis ignarum, se probans, quod *Athnach* maximum post Syllucum & in metricis ponit Accentum. In Accentus ideo §. 2. debacchatur, scribens absurde, quod *Accentuum artifices nullo judicio usi sint*, quia Gen. I, 1. *Athnach* positus, cui nullus ibi locus. Sed & hic salva res est. Quoniam enim hic Subjectum & Prædicatum permixta sunt, distinguuntur actio & effectus, creatio & quid creatione illa divina productum. Conf. B. Job. Franckii *Diacrit. S. p. 84.* Et, ut verus hic Elohim magis consideretur, ponitur emphatice hic *Athnach*. Imò, ni totus fallor, אלהים ideo non habet *Sakeph* sed *Athnach*, ne aliquis, addita Ellipsi quo, ita exponat: *In principio, quo Deus creavit coelum & terram, tunc terra erat &c.* Præjudicium vero suum deponeret, si perpenderet, quod duo hic dicantur, (1) quod Deus antequam rerum creaturarum aliquid existeret, creaverit: (2) quod tali creatione cœperit coelum & terra. Qui duo conceptus emphatica hac accentuatione insinuantur. Nec objicere posset, quod h. l. non justo loco exstet, quia sub alia voce exstare haud posset. Producit autem *Bootius §. 2. l. c. p. 236.* loca tredecim ex Psalmis, ubi *Athnach* indebito loco compareat. Sequenti §. eas lustremus. Hic autem sequentium ut & horum verborum sensum, secundum *Bootii* mentem, paucis addamus. Exponit משורר per splendorem, qualis auroram comitari solet, & spectabilitatem, h. m. *ab ortu tibi fuit splendor sive spectabilitas*, quia Christus statim iis donis clarus fuit, quæ hominem illustrem ac spectabilem reddere queunt. § 8. c. XI. p. 240. Posterius denique membrum vertit: *infantia tua fuit rorulenta*, & לו ultimo loco exstare debuisse, opinatur. Sensumque putat, quod infantia instar roscidæ stirpis

floreat. Itaque notari ultimo, quod in infantia ipsa donis fuerit instructus; & præcedentibus, quod a puero felix quoque cum illis donis fuerit. *c. XII. §. 1. 12. 18.* Ratio ultimi est, quod ros in regionibus maxime calidis, vivificet arbores & flores, & fœcunditatis habeatur symbolum.

§. VIII. Verum hæc ultima maxime displicebunt exegesis, quoniam sic non tantum posterius priori loco diceretur, sed & Accentuatio miserè laniaretur. Ut vero hanc factam quoad hoc servemus: objectiones *Bootii* expendamus. Opponit ( $\alpha$ ), *Ps. XI, 5.* *Athnach* in voce  $\text{חַמַּס}$  poni non debuisse putat, sed alia sub voce; quippe tria ultima loca modo nominat, in quibus plane ei nullus locus. Sed hic nulla alia vox eum patitur. Non  $\text{שָׁנְאָה}$ , quæ cum  $\text{נִפְשׁוֹ}$  sine dubio cohereret; nec  $\text{אוֹהֵב}$ , quæ cum  $\text{חַמַּס}$  connexa est, quoad sensum, clarissime; nec  $\text{רָשָׁע}$ , quæ si haberet *Athnach*, nullum sensum commodum redderet. Forte putabit, in  $\text{יִבְחֵן}$  debuisse poni *Athnach*, quem, vi præcedentium suorum verborum, majorem putat, quam *Merca Mappach*. Si hoc vult, ut omnino, ex hypothesis, quod *Athnach* maximus post *Sillucum* sit Accentus, videtur, gravis error errorem alium trudit. ( $\beta$ ) *Ps. X, 18.* sub  $\text{רַע}$  *Athnach* ipsi minus recte ponitur. Et quantum conjectura assequi valeo, & h. l. *Athnach* maximum credit Accentum, qui loco  $\text{רַע}$  *Merca-Mappach* poni debuisset, quod erroneum est. Fingamus vero (contra præjudicium ejus de *Athnach*), quod putarit, h. l.  $\text{עַר}$  &  $\text{לְעַרְוֵךְ}$  coherere: ne sic quidem aliquid efficit. Nam observato, quod  $\text{עַר}$  cum  $\text{מִן}$  (in Kal minimum) connexum, non sit *terrere*, sed *timere aliquid*, uti *Deut. VII, 20.* *ne terreatis eos*: oblatum hunc probabis sensum, quod ditio  $\text{רַע}$  *Athnach* exhibeat actionem Dei, hactenus indultam permissionem retrahentis; & *Silluk*, quid tempore permissionis miseri pii passi sint. Versio est hæc: *non addet amplius* (i. e. Deus non amplius permittet) *ut timeat homo terram*, (i. e. ut mortalis pius, terrincolas timeat.) ( $\gamma$ )  
PS.

PS. XVII, 7. Hic putat, *Athnach* non in ווסים esse debuisse, sed, si recte conjicio, in ווסרין. Et hoc aliquam habet speciem, quia מושיע הוסים ממתקוממים בימיך re videntur, quam cum ווסרין intermedia verba, si vertis, ut forte *Bootius* voluit: *Mirifice exerces benignitatem tuam, & sis salvans fideles ex illis, qui se opponunt contra dexteram Tuam.* Sed si ad animum revocas, quod sic facilius fuisset וושיע sine Ellipsi; probabis versionem *Lutheri*, quæ Accentibus h. l. optime congruit. (δ) PS. XXIX, 9. in בהיכלו *Athnach* non vult agnoscere. Sed vel *Merca-Mappach* minus quam *Athnach* putavit, vel vitiose (ut e. gr. in *Bibl. Buxtorff.*) in suo exemplari in יערות non *Merca-Mappach*, sed modo *Merca* vidit: quorum neutrum errore caret. (ε) PS. XXXII, 4. ex לשרי *Athnach* removere, & si recte divinando assequor, ad ירך rejicere vult, e præjudicio de præferentia תע *Athnach*. (ς) PS. XXII, 7. (ubi obiter notes erroneam Accentuationem, in *Cod. Buxtorff.*) in פלט *Athnach* ferre recusat, & forte ad הצרתי rejicit, quod vero ex eodem est errore, quod *Athnach* majus sit quam *Merca-Mappach*. Verto ita: *Tu es mihi latibulum, custodies me ab angustia: Tu es mihi gaudia תע libera-re, i. e. lætitia liberationis, circumdabis me.* Ibi omnia suo loco exstant. (ζ) PS. CXIX, 20. autumo, quod *Athnach* ad לפשי protractum velit. Sed hic versus hoc positu perbene fuit, & לתאבה, ut causa quod anima in se fracta, prioribus jungi debuit, ne alius, quam hic conceptus in lectione ob-repat, quod desiderio fracto sit. Et sequentia redderem: *ad judicia tua est omni tempore, i. e. sive desiderium meum ad judicia tua semper inclinatur, vel ipsa anima omni tempore ad judicia tua inclinatur, & quidem desiderio hoc fere confringitur.* (θ) PS. XL, 15. *Athnach* sub ויכלמו ex eodem præjudicio, quod *Merca-Mappach* non sit majus, ad לכפורה rejicere videtur: at, si *Merca-Mappach* admitteret, alibi *Athnach* exstare ne-quiret. (ι) PS. XLII, 17. affert, sed nec ibi tot versus ad-

sunt, nec in toto Psalmo aliquis versus sub voce יהוה habet *Athnach*. Nec Psalmi XXIV. vel CXLII. vel CXXIV. tot habent versus. Ut adeo locus hic inveniri nequeat. (x) PS. LXXXIV, 3. e voce ובשרי *Athnach* sublatum vult, relegandum, sine dubio, ex eodem errore ad יהוה, ubi vero recte est *Merca-Mappach*. (λ) PS. CXXXVII, 2. est ipsi primus ex illis tribus, ubi plane *Athnacho* locus non sit. Sed hoc ex illo præjudicio ortum, ac si *Athnach* vel ut colon vel ut punctum semper distinguat. Sufficit vero, quod *Athnach* h. l. emphatice triste illud in Babylonia medium designet, in quo captivi detenti sunt. (μ) PS. LXXXII, 4. sine omni verisimilitudinis specie, putat, quod *Athnach* non debeat in נִכְיִן adesse. Sed nullus ignorat, quod duæ sint Enunciationes: (1) liberate pauperem & egenum: (2) e manu impiorum eripite. (ν) PSALMO denique XCIV, 3. clare quoque duæ quasi-Enunciationes adsunt, altera incompleta, affectuosa, uti sermo solet ingemiscientium: *Quousque impii, ô Domine!* Altera est perfecta: *Quousque impii exultabunt?* Quod si vero hoc agnoscere nollet *Bootius*, ignoraret non solum sermonem affectuosum, sed & verba עַר מִי רָשָׁעִים Pleonastica credere deberet. Hæc sufficient ad confodiendas copias *Bootii*.

§. IX. Vir multorum meritorum in literaturam Ebræam, Historiamque Ebrææ gentis, Cel. DN. J. J. SCHUDDT. in *Comm. Phil. Th. in h. l.* præcipue p. 98. sq. cum dixisset, quod ornatus, h. l. nominatus, complectatur dona & sanctificantia & administrantia Ecclesiæ Christi, addit: *Quod ἐμφατικώτερον in nostro textu exprimitur, si verba immediate sequentia מרחם משחר, PRÆ utero auroræ exponas, & ad antecedentia, de ornatibus S., referas, cum quibus per accentus coherent, separantur enim a sequentibus verbis, tibi ros juventutis tuæ, per Accentum distinctivum Athnach, qui maximam in versu distinctionem facere solet, quanquam in libris מרחם metricis hæc ejus distinguendi vis non raro exspirat; ut sensus sit, populus tuus spontaneus, in or-*  
na-



natibus sanctitatis præ utero auroræ. i. e. sunt ornatiores ipsa aurora oriente, quæ purissima & elegantissima est. Antea etiam p. 92. Vir Cel. voces ביום הילך pro circumstantia habet temporis, quando subditi Messiaë eam obedientiam præstent: & l. c. de Merca-Mappachato asserit, quod in metricis inter Reges numeretur, cum in Prosaicis Merca minister sit. Et p. 106. sqq. טל ילדותך לך exponit: Tibi est ros juventutis tuæ, h. e. tanta juvenum Tibi copia adest, ut ros. Quemadmodum vero Vir Cel. ad Accentus laudabili modo provocat: sic tamen vix conciliabuntur hæc cum Merca-Mappach, qui omnino plus distinguit, quam Athnach in Libris אמר. Datur autem medium, quo Cel. Viro & hoc in passu succurri posset, ut ita redderetur: *Populus tuus est maxime spontaneus in die virtutis Tuæ: Est (hic populus) in decoribus sanctitatis præ utero auroræ: Est Tibi ros juventutis Tuæ.*

§. X. Erravit graviter ATHLAS in Versione Bibl. Teutonico-Ebraea in b. l. hanc exhibens versionem: דוין פאלק ווערד זער ווילגליך זיין אן דעם טאג (דאש דוא ווערטש פער זאמלין) דוין היר קראפט מיט הייליגער שונהייט און בארד) דער פאורגק שטערן אויף גיט. (אז וויא דוא בישט גיוואונט גיוועזן צו זעהן) דער טוויא אין דיינר יוגנט. Quod Germanicis literis expressum est: **Dein Volck wird sehr willig seyn, an dem Tage, da du wirst versammeln deine Heerkraft, mit heiliger Schönheit, alsobald der Morgen-Stern aufgehet.** Als wie du bist gewohnt gewesen zu sehen, den (ita ab errore scriptionem liberandam censeo) **Thau deiner Jugend.** Nam 1) habet horrendas plane Ellipses, quas nemo sane admittet, præcipue, ubi לך significat, quemadmodum consuevisti videre. Quis hoc in לך videret? Nullibi vel aliquam speciem huic Ellipsi invenies. 2) Probare non potest, quod מרחם notet, quam cito oritur. Posito enim, quod משרר sit h. l. phosphorus, stella, quod & in

Titulo *Ps. XXII.* male volunt Rabbini, uti e. gr. quidam apud R. ABENDANA in לקט שכחה *ad Michlol Jophi.*;posito, non concessio; an tunc מרחם erit, alsobald der Morgen Stern aufgehet? Quod si vertis: *præ utero:* non notabit, *simulac oritur;* sed *antequam oritur,* esset, si multa largirer. 3) Accentus pessime læsit. Nam *Athnach* major habetur in hac versione quam *Merca-Mappach*; quod nullo procedit modo. Imo *Merca-Mappach* minor erit quam *Tiphcha anterior*, Subdistinctivus *Athnachi*. Infelicius adhuc altera versio Judaico-Germanica, ab *Uri Feibesch* procurata, versum nostrum exponit: דין פאלק ווערט זעיר וויליג זיך אויף דען טאג. דען קראפט דיינש הייארש אום דין הייליג ציראט. פון דען טאלט אב. דאש דוא אויש דר טראכט גפאלן בישט. איז פאר דיר צום בעשטן. דער טווא דיינר יונגהייט. Uti hæc sunt adeo obscura, ut Oedipo opus sit: ita 1) Ellipses non devitat, ut vel aliquem, & obscurum quidem, exprimat sensum. 2) Accentus plane ignoravit. Quantum ex Barbara versione assequor, in קורש maximam ponit distinctionem, & sic *Tiphcham anteriorem*, & τῶ *Merca Mappach* & τῶ *Athnach* præfert; quod cum Accentuatione conciliari nequit. Ne 3) addam, Judæum voces in plane aliena significatione accipere, uti e. gr. מרחם vertere quidem vult per gestationem uteri vel partum, & משחר ipsi præbet verba, *daß du gefallen bist:* quod conciliare sane nequeo: & לך est ipsi quidem *Dativus commodi;* sed cum graviori Ellipsi. Nil adest fere sani, præter initium.

§. XI. CAPELLUS in *Crit. S. p. 219.* haud obscure pariter in *Tiphcha anteriori* abscindit, cum sequentia vertit: *De vulva auroræ oriatur tibi ros juventæ tuæ.* In qua conjectura mea confirmor, quando l. c. p. 358. sensum, quem huic loco tribuit, clarius eloquitur: *De vulva משחר auroræ tibi ros juventæ tuæ, h. e. in delectu quem facies militum tuorum, juvenes tui electi sobolescent veluti & subnascentur tibi ea copia & multitu-*

titu-

titudine, qua roris guttulæ mane apparent, unius noctis spatio quasi prognatae & veluti ex auroræ vulva profeminatae. Quod si ita est: vel ideo ferri hæc versio non posset. Nec quoque h. l. agere possum cum primo artis Accentuatoriæ genuino restauratore, B. S. BOHLIO, in cujus *Paraphrasi Psal. h. l. p. 452.* versus noster ita exponitur: **Denn ich sehe hierunter noch höhers, nemlich, daß das Volk, so dir willig anhangen wird, im Stande deiner Erhöhung, wenn du zur Rechten Gottes erhoben bist, wird im H. Schmuck, da es in dir vereiniget sich rühmet, als ein Thau und Menge deiner Mannschafft und Christi, viel mehr seyn, als die Mutter der Morgenröthe Thautropffen hat, du wirst, sage ich, mehr Unterthane haben, als die Morgen-Röthe Thau-Tropffen hat.** Præcedentibus omnibus, fateor, hæc palmam præripit, quia in *Merca-Mappach* maximam ponit distinctionem, quæ Subjectum & Prædicatum distingvit, cum ut unam Propositionem Emphaticè distinctam hæc respicit. Interim tamen in *Tiphcha* fere impingit, nisi forte voces מרחם משהר Parenthesi includere voluit. Si hoc non est (quod tamen & vix bene quadrat) *Tiphcha* magis quam *Athnach* distingvere videtur. Sic enim fluere: *In decoribus sanctis erit præ matrice auroræ tibi ros juventæ Tuæ.* Ni fallor, voces: præ matrice auroræ, magis cum sequentibus, quam præcedentibus cohærent. Anne vero & B. S. SCHMIDIUS in *Resol. Ps. Prophet. de Christo h. l. p. 449.* post vocem, *Sanctitatis*, colon ponens, contra accentus agat: alii videant.

§. XII. Plures adducere possemus, nisi *Dn. M. G. Caspary* in *h. l.* amplam diff. collegisse, & sub B. Grapio defendisse, constaret: tempero igitur mihi, ne jam dicta proferam. Adjicio tantum Paraphrasin *Buchanani*, ed. *Meureri. p. 208.*

*Te pompa lætis cum reducet plausibus  
Ad templa vati compotem,*

*San-*

*Sancto decorus apparatu exercitus  
 Lætum celebrabit diem.  
 Non roris imber ante lucem argenteis  
 Tot vestit arva gemmulis,  
 Quam multa cunctis gentium de finibus  
 Ad te propago confluet.*

In hac vero Paraphrasi pariter lædi Merca-Mappach, & ultra-  
 fortem evehi Athnachum, quilibet dicet. Sed de ipso DNI.  
 CASPARI labore vel tribus addi vult, quod Theologice potius,  
 quam Critice locum excutiat, licet Accentuationem bene ob-  
 servet; nec tamen omnia nobiscum exponat. Quædam &  
 infra notabimus.

*Sectio Secunda,*  
**Sententiam nostram proponens.**

§. I.

**F**avebam quidem ante aliquot tempora ei expositioni, quæ  
 מ in מרחם habet pro מ Comparativo, quod etiam *Cel.*  
*Schudtio* supra §. 9. se probabat. Exemplis hujus significatus  
 non destitueremur. Adhæc putabam, h. l. duas esse solum  
 Enunciationes; quarum tamen posterior emphatice Athnach  
 haberet, quales in metricis haud raro habemus. His præsup-  
 positis, vertebam: *Populus tuus maxime voluntarius est in die  
 virtutis Tuæ. In pulchritudine sanctitatis præ utero auroræ (sive  
 in pulchritudine sanctiore, quam quæ ortui auroræ est) est Ti-  
 bi ros Tuæ juventæ.* Cum Accentibus hanc consistere posse: fa-  
 tebuntur eruditi. Verum ad emphasin confugere, & ideo ex Ac-  
 centuatione trium Enunciationum duas facere, cum tres com-  
 mode fluant, haud licet. Ex hoc fundamento, & simul, quod  
 sanctitas auroræ naturali difficilior tribuitur, cui ob sanctiorem  
 pulchritudinem præfertur populus Christi, quodque nimis mul-  
 tæ sic concurrerent metaphoræ: sprevi illam, inventa ea, quam  
 jam proponam.

§. II.

§. II. Hæc, quam veram habeo, tres agnoscit Enunciationes in hoc versu, quarum primam Merca-Mappach, secundam Athnach, & tertiam ipse versus cum *Silluco* terminat. In omnibus vero his Subjectum est populus Christi, voce עַם exhibitus. *Bootius* quidem, ut supra visum, milites Christi, non populum, hic invenire cupit. At deserit sic significationem famosam. Proponitur etiam Messias potius in præcedentibus ut Rex, quam ut bellator aut belli Dux. Nec licet excipere רָדָה, quod, cum non cohæret cum אֵל, semper notat *dominari*, & in illo unico loco, ubi cum אֵל exstat, *Jud. XIV, 9.* quoque notat, quod Simson animo & vi dominium exercentis apprehendere leonis cadaver. Et, si etiam de hoc Rege Messia scriptum reperis, quod ut victor hostes superet ac conterat, an inde colligere poteris, quod populus hujus Regis non sit alius, quam militaris? Quoniam vero populus hic descriptus est in Ecclesia militante, facile cum *Bootio* milites dicere possemus, si modo ex hoc non omnia transferret in sensum militare, sed hunc militare populum consideraret potius uti est Christo Regi subjectus. Uti enim Rex & Subditi, non Rex præcise & soli milites, sunt relatum & correlatum, cum milites sint correlatum Ducis bellici: ita עַם famosissime notat multitudinem, sive certo Regi, sive certis legibus subjectam. Populus ergo subjectus Christo est Subjectum trium harum Enunciationum: cum in reliquis mera occurrant Prædicata.

§. III. De hoc autem populo Christi in *prima Enunciatione* dicitur, quod sit, נִרְבּוֹת בְּיוֹם הַיּוֹלָךְ, sermone ad Christum directo. נִרְבּוֹת familiari loquendi modo sunt oblationes in V. T. cultu Deo factæ, eæque spontaneæ. Ita *Ex. XXXV, 29.* הֵבִיאוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל נִרְבָּה לַיהוָה *Israëlites obtulerunt Domino spontaneum. c. XXXVI, 3. obtulerunt spontaneum singulis diebus.* In quibus locis non quidem stricte loquendo sacrificia spontanea obtulerunt, dona tamen plane spontanea. De sacrificiis

ficiis autem agit *Lev. VII, 16. Si sacrificium spontaneum fuerit &c. XXII, 23. Deut. XXIII, 24. Lev. XXII, 21. XXIII, 38. Num. XXIX, 39. Deuteron. XII, 6. XVII, 10. Esræ III, 5. I, 4. VIII, 25. VII, 16. Ps. LIV, 8. CXIX, 108. Ez. XLVI, 12. Hof. XIV, 5. 2. Chron. XXXI, 14. XXXV, 8.* Non necesse erit, h. l. multa ex Talmudicis afferre pandectis, de voluntarii sacrificii ritibus, cum ad nostrum scopum non pertineant. Notes tantum ex Talm: אִזְהוּ נָדַר הַאוֹמֵר הָרִי עָלַי וְאִזְהוּ אִזְהוּ נָדַר הַאוֹמֵר הָרִי זֶה עֹלָה. *Quid est votum? Dicit (scilicet vovens), en super me sumo holocaustum. Quid est sacrificium spontaneum? Dicit (nempe sponte offerens), en hoc erit holocaustum.* Alias differentias passim inculcant, e. gr. ab holocausto debito, in *Cod. תְּרוּמָה c. 3. M. 4.* Ideo Viri in Ebraismo summi נְדָבוֹת de spontaneis & hic oblationibus exponunt; sed diversimode. Vir sine controversia summus, *B. Theod. DASSOVIUS in Collegio Emphatico MS. radice נָדַר §. 5.* de hoc nostro ita scribit: *Ita quoque Psal. CX, 3. dicitur populus offert sacrificia salutaria i. e. ex ingenuo, candido, liberali pectore Tibi, o Messia, offert tuus populus spiritualia sacrificia. Notanter autem spiritualia sacrificia cum voluntariis sacrificiis comparantur, quia voluntaria sacrificia non erant sacrificia pro peccato vel reatu. Ita etiam spiritualia sacrificia offerentes peccato & reatu abstinent, ac in novitate vitæ ambulant. Vide de hac Radice Majem. de oblat. c. 14. §. 8.* Agnoscit itaque Vir post fata quoque magnus h. l. *Ellipsin הָבִיא offert populus Tuus sacrificia spontanea. Qui vero Ellipsis difficiles merito sunt, illi alia quæerunt. Alii itaque aliquid Enallagæ analogum hic venantur, & accipiunt, quasi נְדָבוֹת exstaret, h. m. Populus tuus sunt spontanei. Dein Bold sind lauter Freywillige. Sed Enallagen ignorantia theatrum alii cum *B. Varenio dicunt. Cel. Dn. D. J. H. MICHAELIS in Not. Uber. in Hagiogr. pag. 846. reddit: Populus tuus sunt promptitudines, i. e. habent spiritum promptum. Alii**

asse-

asserunt, quod נרבות hoc loco notet *liberalitates*, & provocant ad *Pf. LXVIII. 10.* & *Amos IV, 5.* ubi נרבות *liberalitates* exprimat. In priori loco dicitur: גשם נרבות תזוף אלהים, quod vertunt: *nunc demittis, ô Deus, imbrem liberalitatum.* Sed cum alias hæc vox non notet, nisi spontaneum aliquod, voluntarium donum, nulla nos & hic cogit necessitas, ut liberalitates cogitemus. LXX. Interpretes, quos dicimus, non liberalitates, sed spontaneum exponunt: βροχὴν ἐπέσιον ἀφοριεῖς ὁ Θεὸς τῆ κληρονομία σου. Habet & Vulgata *pluviam voluntariam.* Qui ita accipiunt, habent per bene *imbrem spontaneitatum divinarum*; Qui tamen abundantem, vel sata maxime locupletantem, exponunt, habent *imbrem voluntariarum oblationum*, h. e. talem, quæ ita foecundat, ut voluntarias oblationes ex gratitudine deferantur Deo. In altero autem loco optime est *voluntaria oblatio*, ut vel *B. Lutherus* vertit, nec aliter *Vulgata*, aliique. *R.D. Kimchi* quoque, quod vocent, שיביאו העם נרבות, ליום החגי. *ut populus ad diem festum sacrificia voluntaria afferat.* *R. Jf. Abarbenel in b. l. f. 248. c. 2. ed. Amst.*, etiam sacrificia spontanea idololatrarum intelligit, addens: והעזון שעושים: כל מה שאמרה תורה, quod sensus sit, *quod perverterint cuncta a lege mandata.* Nondum ergo hic significatus est probatus. Manet itaque unicus נרבה טעם significatus, quo notat munus aliquod voluntarium, quod ex crebriori usu est oblatio voluntaria Deo facta. Omnium itaque simplicissime & loco convenientissime, nostra ita expones: *Populus Tuus sunt oblationes spontaneæ.* Agnoscunt allusionem *Coccejus, Hammondus*, aliique in *Polo b. l.* Conferuntur enim Christiani cum oblationibus spontaneis, quod, uti illæ nullo cogente dabantur, sic Christiani, non vi indigeant, ut Christi populus vel fiant vel permaneant, sed non coacte Christo præsto sint *in die virtutis ipsius.* *Agitatio enim Spiritus S. non est coactio: sed homo conversus sponte bonum operatur: quemadmodum David inquit. Post victoriam tuam populus tuus tibi spontaneus offeret, uti loquuntur nostri in F. C. p. 674.*

§. IV. Quid sit dies  $\tau\alpha$   $\eta\eta$  Christi, ipsa quoque  $\tau\alpha$   $\eta\eta$  notio nos docebit.  $\eta\eta$  hoc non tantum Ebr: Chald:  $\eta\eta$ , Syr:  $\eta\eta$  Arab:  $\eta\eta$  *robur* notat; sed & usus Biblicus certissimum hujus significatus est indicium. Et quidem usus hic ostendit, quod formaliter denotet facultatem, ubi Subjecto conjuncta est quocunque modo vis debita & sufficiens respectu Objecti, ad quod Subjectum vim illam dirigit. Placebit hoc vel illis, qui Hieroglyphica delectantur, quibus vel est ( $\eta\eta$ ) combinatio ( $\eta\eta$ ) extensionis ( $\eta\eta$ ) ad aliud; vel ( $\eta\eta$ ) copulatio ( $\eta\eta$ ) virium excitatarum ( $\eta\eta$ ) ad aliud; vel ( $\eta\eta$ ) progressio ( $\eta\eta$ ) puræ virtutis ( $\eta\eta$ ) ad aliud; vel ( $\eta\eta$ ) nexus ( $\eta\eta$ ) vitæ vel virium internarum cum ( $\eta\eta$ ) Objecto. Nos interim, e sola inductione locorum Biblicorum adducamus, quod  $\eta\eta$  notet in genere omnem facultatem, sive robur sit *animi*, ad vincenda mala, sive robur *corporis* ad exantlanda opera magnifica, sive *bonorum*, ut divitiæ perfecte necessitati respondeant. Tralatitiae deinde exercitus quoque dicuntur robur Ducis bellici, ipsique heroes audiunt  $\eta\eta$   $\eta\eta$  vel  $\eta\eta$   $\eta\eta$ , heroës vel viri roboris, i.e. fortes & robusti. Porro ipsa victoria resque gestæ in bello  $\eta\eta$  audiunt, quia talis roboris effectus sunt. Ex hac varia acceptione varii varie exponunt. Aliqui reddunt: *in die roboris*; alii: *in die virtutis*; alii: *in die victoriæ*; alii: *in die exercitus*. Quid eligemus?  $\eta\eta$  primario est *robur*. Si ergo circumstantiæ permittunt, reddere debemus: *in die roboris Tui*. Permittunt vero, imo urgent circumstantiæ. Messias proponitur ut Rex potentissimus, cui, ad Dextram Dei sedenti, Deus omnes hostes subjicit v. 1, qui moderatur sceptrum  $\eta\eta$  *roboris*, quo imperat inrer gentes v. 2, qui in ira sua conterit Reges v. 5, qui judicat, gentes multas occidit, & potentissimas Monarchas, imo ipsum Principem mundi immundi conterit v. 6. Hæc enim cuncta  $\eta\eta$  robur Regis Messiae loquuntur. Quid vero per diem roboris intelligatur, me quidem judice, ipse David h. l. & res ipsa loquuntur. Quod dies

ro-



roboris non sit tempus regni potentia, res ipsa docet, quia in eo non omnes subditi obedientes & prompti sunt. Nec forte quis eo inclinabit, quod dies roboris sit Regni Gloriae aeternitas, de quo Psalten loqui, ex jam adductis inficiaberis. Varie quidem Patres, e. gr. de iudicio extremo CYRILLUS & THEODORETUS; de tempore miraculorum Christi, it. resurrectione ejus, CHRYSOSTOMUS, quod ultimum & HESYCHIO placet; de nocte, qua Christus natus, ATHANASIUS, exponunt. Vid. CORDERII *Caten. Græc. Pat. in h. l. T. III. p. 247. sqq.* Sed non quadrant. Restat ergo, ut exponamus de Regno gratia, de quo Davidem loqui fateberis, si observabis, quod in hoc Christus regnet in medio hostium v. 2, in hoc ut Rex v. 1. 2. & Sacerdos v. 4. imperet, iudicet, hostes interimat v. 5. 6. e fluvio bibat, caput erigat v. 7. &c. Quorum tempus unius diei nomine exprimi posse, jam B. VARENIUS in *Comment. in Jes. Part. II. pag. 211.* observavit. Quoniam etiam tempus gratia est tempus militia Christiana Eph. VI, 10. sqq. &c. in quo eunt מְהִיל אֶל חַיִּיל a victoria una ad alteram, ut vulgo vertunt Ps. LXXXIV, 4. cum יָמִין יְהוָה עָשָׂה חַיִּיל dextra Jehovæ victoriam edit, ut B. Luth. Ps. CXVIII, 15. exponi; dies roboris, etiam dies exercitus & militiae consequenter dici posset. Primario vero Regnum hoc dies roboris audit, quia in eo Christus robur divinum exerit, non tantum in convertendis subditis, ut, eo trahente, sponte sua veniant, sponteque sua serviant ipsi; sed & Regnum hoc suum potentissime tuetur, hostesque superat. Non male huc quadrant verbe CYRILLI ALEX. L. VI. *advers. Julian. ed. Spanh. p. 215. 216.* Χριστός ὁ πάντων δεσπότης, ὁμοθεν ἔχων καὶ ἐκ ἕξωθεν ἐπακτὴν τὴν δόξαν, διὰ τῆς τῶν καταρθωμάτων ὑπεροχῆς ἐγνωρίζετο, νοοῖτο δ' αὐτὸ καὶ αὐτῶν τῶν κατὰ τὸν ὑπάρχον Θεός. Christus, omnium Dominus, domesticam habens nec adscititiam majestatem, recte factorum praestantia clarus erat, ipsiusque Caesaris Deus esse intelligatur. Finita sic est prima Enunciatio, quæ docet, quod populus Christi

sti genuinus, in Regno gratiæ ipsi spontaneè sit subjectus: quod eleganter statum vere credentium exprimit.

§. V. In secunda Enunciatione de hoc Christi populo dicitur, quod sit **בהררי קרש מרחם משחר**. Eousque enunciationem extendendam hanc esse, docet sole clarius Accentuatio, quoniam dictio  $\tau\tilde{z}$  *Athnach* eo se usque extendit. Ut hæc recte intelligantur, exponi debet primo, quid sit **משחר**, dein, quid ejus **רחם**; porro, quid **הרר**, & tandem, quid sanctitas illius sit. Est **משחר** quidem *ἀπαξ λεγόμενον*, & ideo Exegetæ in varia eunt. Convenientia cum **משחור**, *nigredo*, forte quosdam alliceret, ut credant, **משחר** nostram quoque esse *nigredinem*, quod populus dicatur esse *ex utero nigredinis*. At negabis hoc, si recte attendis, quod ( $\alpha$ ) tunc habeat *cholem* in hoc & aliis hujus familiæ vocabulis, & ( $\beta$ ) res ipsa repugnet, quoniam non *ex utero spiritualium tenebrarum* Christiani nascuntur. Est itaque nobis **משחר** *aurora*, quæ e tenebris quasi adducit lucidam diem. Et, quoniam hæc necessario mystice sunt exponenda, non obscurum erit, quænam illa sit aurora spiritualis, e cujus utero egressi sint Christiani. Verbum enim Dei docet, quod Christiani spiritualiter nascantur *e concione Evangelica*. Ita & e. gr. B. SEB. SCHMID. in *Pf. Proph. de Cl. h. l. p. 455. Jac. I, 18. παλὴρ τῶν φώτων ἐλάβεις ἐπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας*. Si huic concioni attendimus, oritur dies &  $\Phi\omega\sigma\Phi\acute{o}\rho\Theta$  in cordibus *2. Petr. I, 19. &c.* Et concio quidem de Christo elegantissime confertur cum aurora, quoniam siue concione hac si esset mundus, tenebræ spirituales non discuterentur. Evangelium etiam per auroram intelligit non nemo in *den unsch. Nachr. 1713. p. 665.* Nonnullos quoque ex nostratibus adducit *Dn. Caspari in Diss. cit. p. 26. sqq.* quem forte Theologi in eo non probabunt, quod hæc p. 24. vertit: *ab utero*, & exponit: *quam primum* ex ecclesiæ conventibus proditurus fuerit. Nam  $\alpha$ ) ecclesiæ conventus non sunt uterus spiritualis,  $\beta$ ) ipse & decora per B. O. exponit, quod coarctat emphasin, cum & fides sit decus Christianorum & reliqua dona.  $\gamma$ ) Si **מרחם** est *uterus & quam primum* simul, erit duplex significatus &c.

§. VI. Difficultate etiam caret, quomodo huic spirituali auroræ, doctrinæ Evangelicæ uterus tribui possit. Quemadmodum enim auroræ naturali non repugnat, cum ei per *Prosopopæiam* tribuuntur, oculi & palpebræ *Hiob. III. 8. XLI, 10*: ita nec respuit, ut spiritualis ad  
iustar

instar parientis matris proponatur per similem Prosopopœiam, eique attribuatur uterus. Hinc quoque facile colliges, simplicissimum esse, si verteres: *sunt ex utero auroræ*, i. e. nati sunt ex Evangelio spiritualiter. Qui enim ex utero esse dicitur, natus dicitur. Ex hac expositione facile & dispalescit, quid reliqua sint verba, nempe, *quod in sanctitatis decoribus orientur e spirituali aurora*. Spirituali decore a Spiritu S. decorati. Sed de hoc mox plura.

§. VII. Communico interim cum B. L. expositionem verborum מרחם משחר paulo aliam, quæ simplicius forte adhuc textum exponit. Dicit hæc ipsum *Christum auroram spiritualem*: Dicitur de eo, quod ut aurora ad suos venturus sit *Hof. VI, 3.* & est ipse, qui noctem spiritualem discutit. Huic vero adscribitur מרחם, meo iudicio h. l. non uterus, sed misericordia, quæ significatio vocis מרחם formosior, ut inductio locorum quemlibet docere potest. Ex hac vero summa *miseriordia* habent Christiani omnia decora sanctitatis suæ. Fluit enim, ex hac expositione, secunda versus Enunciatio ita: *Populus tuus, ô Messia, est in decoribus sanctitatis*: (i. e. habet vera & multiplicia decora veræ sanctitatis) *e misericordia auroræ* spiritualis, quæ Tu ipse es: non ex se, sed e sola gratiosa misericordia sanctitatis cuncta decora habet. Per decora vero ea varia (quod Pluralis docet) intelligit varia *χαρίσματα* Spiritus S., quæ non modo a causa efficiente, Spiritu Sancto, sancta decora audiunt, sed quoque ratione formæ suæ, quia formaliter & in se sunt sancta dona, sancta decora. Audiunt autem & sancta decora, respectu finis, quod ideo hæc decora dentur hominibus, ut sancti fiant. Hoc sane simplicius est, & convenientius videretur, quam cum B. S. *Schmidio Ps. Proph. b. l. p. 455.* intelligere honores, quibus Christus colitur. Quæcunque ergo sunt decora sanctitatis, illa omnia habet populus Christi e sola ipsius misericordia & gratia. Si deus illuminationis, conversionis, justificationis, unionis mysticæ, cuncta B. O. decora in renovatione, spectas: omnia hæc sancta sunt decora, & unice a gratia Christi illa habet Christi populus. *Conf. & Jes. LXI, v. 10. Ezech. XVI, 10. 11. Apoc. XIX, 8. &c.*

§. VIII. Nullo sic quoque negotio ultima Enunciatio intelligi potest; quæ hæc: *Populus Tuus, ô Messia, est Tibi ros juventutis Tue*. Roris mentionem in S. S. fieri ad denotandam multitudinem ex *II. Sam. XVII, 12.* constat. Nil ergo impedit, quo minus & h. l.

ros multitudinis fit symbolum, si reliquæ circumstantiæ patiuntur, maxime vero conjunctio rosis cum ילדות *juventa* Messia. De hoc ergo, priusquam pergamus, certi simus, quid significet vox hæc. Vox hæc, præter locum nostrum tantum occurrit *Kob. XI, 9. 10.* & notat statum, quo juvenis lætus vivere potest. Nunquam notat milites in juventute sua robustos. Hinc non facile illis pollicem premerem, qui h. m. intelligerent: *Populus Tuus est Tibi multitudo juvenum militum Tuorum.* Nec *Booth* assurgo, qui ילדות pro infantia habet. Clare siquidem ex *Kob. XI, 9. 10.* patet, quod status robustioris juventutis intelligatur. Forte e *Dan. VII, v. 13.* constabit, quod Christus in Regno gratiæ spectatus ut juvenis proponatur. Conf. *Cant. Cant.* &c. ילדות itaque Christi Regis erit tempus quidem ante nuptias ejus, *Apoc. XIX, 7.* tempus Regni gratiæ. In specialiori forte & acceptione ipsa initia concionis Evangelicæ per totum mundum factæ ita dici possent, ubi Apostoli Apostolicique Viri ingentem numerum populorum Christo sunt lucrati, circa ipsum tempus auroræ Evangelicæ. Non quidem ignoro, Judæorum Doctores etiam in ipso TALMUDE HIEROS. BERACHOTH. c. 5. hæc de ipsa nativitate Messia accipere & exponere, quod non ex virili semine fit nascendus. Verba legas in VOISINII *Not. ad R. Martini Pug. fidei p. m. 154. sq.* quo & locus ex BRESCHITH RABBA, *ibid. p. m. 759.* a Martini adductus, pertinet. ועליו יורד אשר ירחם משחר לך טל ילדותך. Gratus assumo hoc argumentum, quo κατ' ἀνθρώπων contra Judæos uti possumus. Quia tamen & hæc expositio 1) Tiphchæ plus quam *Merca-Mappach & Athnacho* tribuit, & 2) de populo Messia, non ejus persona est sermo: approbare hoc non possum. Intellego potius, de multitudine fidelium in Christi gratiæ regno. De pia hac multitudine ait: לך טל ילדותך *est tibi ros juventa tua.* Nec hoc frustra est, quod h. l. לך adest. Sunt enim spontanei in Regno Christi, habent decora sanctitatis, sed hoc non Christo soli, sed & sibi, cum ex utroque maxima ferant præmia. Sed quod vel multi vel pauci sint fideles, inde spirituale bonum eorum nec augetur nec minuitur: sed hoc soli Christo (לך) gloriam affert. Plura dicere impedit, quod Philologicis tantum circumscribimur cancellis.

Sit Gloria Christo!

Coll. diss. A. 238, Misc. 5